

ciochè in qualsivoglia tempo avvenire nessuno possa allegare causa d'ignoranza di quanto nel presente editto si contiene, si dovrà in ciascheduna sagrestia di qualsivoglia chiesa, e luogo pio di Roma tenere continuamente affisso in luogo visibile un esemplare del medesimo Editto sotto le pene sopra espresse in caso di contravvenzione.

Dato li 18 Settembre 1719.

A. M. PALLAVICINI, segretario della sagra Visita Apostolica.

Gaetano IVONES, commissario, e fiscale della sagra Visita Apostolica.

Paolo FATH, not. A. C. e della sacra congreg. *Hæc insuper notasse liceat.*

(6. Missarum celebratio, et applicatio probatur juramento celebrantis, ipsi enim id asserenti cum juramento credendum est, licet in libro ad hoc parato, per incuriam, oblivionem, aut alia de causa non reperiatur descriptus: quia ea, quæ pendent ab animo, et conscientia, legitime probantur juramento, ex punctuali, et notabili *Glossa* juramento, ex punctuali, et notabili *Glossa* in cap. *Significasti* 16, verb. *Si est ita*, De homicid. Sic expresse Monacell., in *Formulario legali practico*, t. II, tit. 13, formul. 2, n. 46, afferens ad id decretum sac. congregat. Concilii in una Civitat. Plebis sub die 17 Maii 1704, et testans de communi DD. Dictus autem celebrans, qui missas celebratas in libro ad hoc parato non notavit, potest ab ordinario mulctari. Monacell., *loc. cit.*, ex Gavant. in *Manuali episcop.*, verb. *Missa*, n. 60, et Concil. Mediolan. provincial. VII, part. I, tit. *De missis*, ubi rectores Ecclesiarum carentes dicto libro multantur aureo nummo, et sacerdotes non scribentes duodecim solidis.

(7. \* Si Ecclesia, et loca pia careant redditibus, adeo ut non possint licite illos erogare in expensas pro missarum celebratione, fas ejus administratoribus est aliquid subtrahere de consueta eleemosyna, quantum necesse est pro celebratione illius missæ, ut ex decreto Urbani VIII certum est. Sed ex pluribus decretis sacræ congregationis eruitur, detrahi in eo casu aliquid posse ex eleemosyna in missis perpetuis: tunc autem videndum est, num adsit aliquis, qui sit obligatus supplere, et num potius supplendum sit recurrendo pro diminutione numeri missarum.

(8. Sive autem Ecclesia sit pauperecula, sive non, non potest aliquid exigi ab iis sacerdotibus, qui sponte religione ducti veniunt in aliqua Ecclesia celebraturi, sicut etiam ab iis, qui ab administratoribus Ecclesie eleemosynam nullam recipiunt.

(9. Jure tamen exigitur hæc detractio ab iis, qui omnino ibi celebrare volunt, nec Ecclesia habet de suo quomodo utensilibus provideat, nec de suo providet ille, qui eleemosynam suppeditavit. Hæc omnia ex tract. Benedicti XIV, *De sacrif. missæ*, lib. II, cap. 24, § 13.

(10. De eleemosynis receptis pro missis, sacristæ regulares tenentur illas ponere in arca duabus clavibus obserata, quarum al-

teram tenere debet superior localis, alteram unus ex regularibus a capitulo deputatus; ac deinde de satisfactione earundem missarum tenentur reddere rationem coram Patribus discretis, ut ex decreto Urbani VIII ab Innocentio XII confirmato constat. *Institut. eccles.*, 72, § 29.

(11. Benedictus XIII in Romano concilio prefectos regularium monuit, ut in taxanda pecunie summa pro missis perpetuis sexaginta scuta romana definirent non excedendo nec minuendo. *De sacrific. miss.* lib. III, cap. 22, § 9.

(12. Episcopus potest quidem visitare parochiales ecclesias regularium; sed num possit etiam recognoscere de oneribus missarum, an sint impleta, requisita fuit sac. congregatio, et nondum prodiit responsum. Potest tamen episcopus inquirere, num parochus regularis singulis diebus festis pro populo celebraverit, cum id concernat curam animarum, de qua jus est inquirendi episcopo in visitatione. *De syn. diac.*, l. XIII, c. ult., n. 5, nov. edit. Fas est tamen episcopo visitare confraternitates laicorum in ecclesiis regularium erectas, et altare, si illis incumbit onus manutenendi, et onera missarum, ad quæ confraternitates illæ tenentur. *Ibid.*, § 6.

(13. Sistetator missas reliquerit quotannis celebrandas in ecclesiis regularium, et hæredi suo permiserit, ut designet sacerdotem, per quem celebrari debeant, non possunt regulares exigere, ut unus ex suis designetur, quin et præstare debent patientiam, ut ab eo, quem hæres designarit, in suis ecclesiis celebrentur, dummodo tamen dentur frustatoriæ, ut ex responso S. congregationis. *Ibid.*, § 7. V. *Addit. Cas.*, ad art. 4 h. rubr.

(14. A mandatis et monitoriis, etc., per quæ retardetur executio provisionum, et statutorum pro divino cultu conservando, et augendo, præsertim circa missæ celebrationem, ad executionem decretorum Tridentini, sess. XXI, *De ref.*, cap. 8, et sess. XXII, in *Decr. de observ. et evitand. in celebr. miss.*, ne recipiantur in tribunali actus judiciales, per quos eorum executio impediatur, sancitum est a pontifice in bulla *Ad militantis*. *Bull.* tom. I, n. 48, § 46.

#### ARTICULUS XVI.

*Missa a quibus, et quibus in locis audiri possit, et debeat.*

#### SUMMARYUM.

1. Omnes fideles usus rationis capaces, non legitime impediti, cujuscunque sint status, et conditionis, tenentur integram missam audire singulis diebus Dominicis, et festis sub peccato mortali. — 2. Missam audire tenentur integram, et quidem unius solius sacerdotis, et non debent ante benedictionem sacerdotis egredi. — 3. Unde probabilius non satisfaciunt præcepto de audiendo sacro, etiam qui successive a diversis celebrantibus absque justa causa audiunt duas medietates. — 4. Partem notabilem missæ omittente est peccatum mortale: parvam autem omittente est solum veniale, si nulla justa causa intersit. — 5. Quænam sit parva, aut notabilis. — 6. Impediti aliqua impotentia, sive physica, sive morali, aut aliquo officio, seu rationabili motivo

excusantur a præcepto audiendi sacram, et assignantur sic legitime impediti. — 7. In omnibus recensitis casibus, et consimilibus excusantur fideles ab obligatione audiendi Sacrum ex mente ecclesie præcipientis instar discretæ, et benignæ matris nolentis obligare cum tanto rigore. — 8. Non excusantur autem domini, nec famuli, qui ob parvum lucrum per occupationes impediuntur ab audienda missa. — 9. Fideles audiendo missas in ecclesiis regularium satisfaciunt præcepto de audiendo missam. — 10. Unde non possunt fideles constringi ad missam audiendam in ecclesia parochiali. — 11. Nec ullam censuram meretur, qui docet in foro conscientie nullum teneri in diebus festis parochie suæ interesse ad missam audiendam. — 12. Fideles satisfaciunt præcepto de audiendo missam etiam in oratoriis, et capellis domesticis regularium. — 13. Imo etiam in capellis regularium rusticis, seu oratoriis sitis in eorum grangiis, seu prædiis ruralibus. — 14. Satisfaciunt audiendo missam in oratoriis, et capellis cardinalium, et episcoporum. — 15. Etiam in oratoriis de licentia episcopi erectis in quibusdam domibus, dummodo ab ipsis domibus ita sint separata, ut per eas ad illa minime iri possit, et a via publica pateat cunctis accessus. — 16. In oratoriis vero privatis, quæ a Sede Apostolica aliquibus in propriis domibus solent concedi, satisfaciunt audiendo missam solummodo in indulto privilegiati. — 17. Ut autem sciatur, quinam sint privilegiati necne: adducuntur clausule, quæ in similibus indultis solent impressari regulariter apponi. — 18. Adducitur clausula, quæ solet apponi in Indulto pro infirmo, etiam nobili. — 19. Familiares, seu famuli indultarii in ejus domo inservientes, et ejus expensis viventes, nisi in actu celebrationis missæ servitio Domini necessarii sint, ut satisfaciunt præcepto de audienda missa diebus festis, tenentur accedere ad ecclesiam. — 20. Adducitur, et solvitur instantia. — 21. Talis conditio, cum ponatur in indultis de intentione expressa Pontificis, et declaratione sac. congr. Concilii, est omnino servanda, ad num. 22. — 23. Indultarii autem, qui suis in indultis majora habent privilegia, et ampliores clausulas, possunt iis libere, et licite uti sine ulla restrictione. — 24. In oratorio rurali ultra dimidium miliare ab ecclesia distante satisfaciunt omnes familiares. — 25. Concesso privilegio domino, et famulis eidem inservientibus, absente domino, famuli audientes sacrum non satisfaciunt præcepto. — 26. Si autem dominus, audit sacro in ecclesia, ex devotione iterum audiat solum sacrum in suo privato oratorio, tunc familia, et famuli actu domino inservientes satisfaciunt præcepto audiendi sacrum. — 27. Celebrato in ipso privato sacello, seu oratorio uno sacro, non potest illa die aliud celebrari neque per regulares. — 28. Familiares sunt solum illi, qui expensis ejus, cujus dicuntur familiares, continuo vivunt, et morantur cum eo, indeque continui commensales dicuntur. — 29. Appellatione familiaris, quæ in privatis oratoriis potest audire missam, veniunt omnes illi, qui habitant in domo privilegiati cum quadam habitudine ad illum, et assignantur. — 30. Filii, ac filie privilegiati, eorumdem uxores, ac viri non gaudent hoc privilegio, si habitent in eadem domo, sed vivant separatim propriis expensis. — 31. Alia ad rem, remissive.

(1. Omnes fideles usus rationis capaces non legitime impediti, cujuscunque sint status, et conditionis, tenentur integram missam audire singulis diebus Dominicis, et festis, sub peccato mortali, cap. *Missas* 64, De consecratione, distinct. 1; cap. *Omnes fideles*, cap. 2, De parochis, cap. *Ut Dominicis*, cap. *Si quis*, et cap. *Qui die*, De consecrat., dist. 1. Concil. Agathens. c. 47; concil. Matiscon. II c. 4. (2. Dixi integram

missam, quia, juxta Canonem *missas* 64, De consecrat., dist. 1, non debet populus ante benedictionem sacerdotis egredi: et ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, damnata fuit hæc propositio, quæ est 53, in ordine: « Satisfacit præcepto Ecclesie, de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. » 3. Unde probabilius, imo pro certo, juxta nunc receptam apud probatores theologos sententiam, non satisfaciunt præcepto de audiendo sacro, etiam qui successive a diversis celebrantibus absque justa causa, imo absolute, audiunt duas medietates, v. gr. a consecratione usque ad finem ab uno, et postea a principio usque ad consecrationem ab alio sacerdote, ut solide probat Lugo *De sacr. Eucharistie*, disp. 22, sect. 1, n. 8, citans pro se Azorium, Toletum, Fagundez, Suarez, Coninch, Reginal. et alios; opinio enim contraria videtur virtualiter comprehendi in damnatione mox recensitæ propositionis 53 propter eandem rationem. (4. Partem notabilem missæ omittente est peccatum mortale, parvam autem omittente est solum veniale, si nulla justa causa intersit. (5. Et parva pars censetur communitate a doctoribus omissio usque ad Epistolam exclusive, et a communione usque ad finem; et sic excusantur a mortali, qui missam audiunt a principio Epistolæ, seu etiam Evangelii, secundum multos, usque ad finem, vel etiam ab initio usque ad communionem, cum sic non omittant partem notabilem, uti esset media, vel tertia pars, ex quo sic notabiliter deficeretur contra præceptum de audienda tota missa indictum a concilio Agathens., cap. 47, his verbis: « Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, et in c. *Omnes fideles*, De consecrat., dist. 1, his præcis verbis: « Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad ecclesiam, et Scripturas Apostolorum, et Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione, usque dum Missa peragatur... convenit communionem privari. »

\* Juxta multos, inquit Antoine in *Tract. de virtute religionis*, cap. 11, quæst. 5, n. 1, § *Porro*, peccat solum venialiter, qui ab initio Epistolæ usque ad finem missæ interest, quia putant partem omissam non esse notabilem. At ex communi sententia omissio initii missæ, et aliorum usque ad Evangelium inclusive, imo secundum multos etiam exclusive, est mortalis: quia hæc pars omissa notabilis est respectu missæ. Imo est mortale abesse solo tempore consecrationis: nam est pars maxime notabilis, et principalis, cum in ea consistat essentia sacrificii, et Ecclesia præcipiat missam principaliter quoad sacrificium. « Tunc fiunt « missæ, quando munera offeruntur, et « corpus, vel sanguis Domini consecratur, » ait S. Cæsarius. Idem dicunt aliqui de communione sacerdotis: quia vel est essentialis pars sacrificii, vel saltem est de illius integritate, et complemento substantiali, ac proinde est pars notabilior: pars enim no-



tabilis aestimari debet non solum ex diuturnitate, sed etiam ex dignitate operis: nec leve censeretur abesse ab essentia, vel integritate, ac complemento sacrificii, cui toti interesse teneris. Hinc qui potest solum interesse consecrationi, et non reliquæ parti missæ, ad id tenetur; nam illa pars est principalis, et continet essentiam sacrificii, nec principale sequitur accessorium.»

(6. Dixi non legitime impediti, quia impediti aliqua impotentia, sive physica, sive morali, aut aliquo officio, seu rationabili motivo excusantur a præcepto audiendi sacrum, uti sunt infirmi, carcerati, domi sequestrati, navigantes, excommunicati, (\* « Tenentur tamen excommunicati, quam primum possunt, obtinere absolutionem, quam si obtinere non curent, erunt in causa omissionis missæ, et omissio imputabitur ad peccatum lethale. » Ita P. Cuniliati, tract. 6, *De tertio Decalogi præcepto*, cap. 11, § 4, n. 11 \*) interdicti, milites custodientes castra, et urbes, si suo muneri deesse non possunt, pastores ovium, et similes, si non habeant alios, quos ad earum custodiam relinquunt, nec possint diversis horis, et alternis vicibus omnes sacro interesse; matres et custodes infirmorum, si non habeant, quos relinquunt ad custodiam infantulorum et infirmorum, qui possent pati periculum; timentes prudenter grave damnum sibi, aut aliis, si exirent de domo; habentes gravia negotia expedienda, quæ sine magno incommodo differri non possunt; itinerantes, qui nequeunt sacrum audire, nisi amittant socios, sine quibus, vel viam ignorant, vel prudenter timent latronum periculum, aut aliud grave malum; habentes graves difficultates adeundi ecclesiam ob distantiam loci, ob difficile iter, ob pluviam, et similia; mulieres gravidæ, si graviditates sint periculosæ; non habentes vestes suo statui convenientes; mulieres ex consuetudine patriæ non egredientes tempore luctus. \* Romanus theologus hanc ad hæc verba not. apposuit: « Non habentes vestes convenientes possunt summo mane audire sacrum. Nec videntur excusari mulieres posse ex consuetudine loci tempore luctus, cum abusus hic sit intolerabilis, nec rationi consentaneus. » Hunc tamen morem absolute non damnat P. Cuniliati, qui, *loc. cit.*, n. 111, scribit: « His causis excusantibus accedere potest consuetudo aliquarum regionum, in quibus nobiles in diebus luctus alicujus strictè conjuncti, domi se continere consueverunt, quamvis non habeant privilegium oratorii domestici. In aliis, puellæ nobiles tempore sponsaliorum domo exire non consueverunt. In aliis, mulieres puerperæ tot septimanis ab Ecclesiæ ingressu arcantur, quousque a sacerdote benedicantur; et hæc fiunt scientibus episcopis, et parochis, iisdemque tacentibus: idcirco omittentes missam non videntur culpandi. Cavendum tamen, ne hæc consuetudines introducantur, ubi non sunt, et ne amplientur, ubi obtinent. » Subdit autem opportune n. 4:

« Monendum est, impeditos ex causa aliqua audire sacrum teneri sub mortali supplere per aliqua alia pietatis opera, præcipue actuum fidei, charitatis, spei, contritionis, aut similibus. Non quidem ex vi præcepti ecclesiastici, quod obligat ad missam, sed ex vi præcepti naturalis colendi Deum diebus festis: unde qui non potest cultu præscripto, potest autem supplere per cultum alterum, supplere obligatur. Ita docent P. Marchantius, t. II *Tribunal.*, tract. 4, tit. 2, quæst. 3, auctor non severus, et P. Sporer, tract. 3, in tertium præcept., c. 4, sect. 2, n. 36, auctor ex benignioribus; » \* et mulieres post partum, dummodo non exeant ob alias causas; uxores ob zelotypiam a maritis impeditæ, feminæ ex occulta fornicatione prægnantes, si metuant exire, ne reæ sic cognoscantur; ignorantes invincibiliter, et inculpabiliter inadvertentes tali die currere festum de præcepto. (7. In omnibus enim recensitis casibus, et consimilibus, excusantur fideles ab obligatione audiendi missam ex communi doctorum; cum hæc sit mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ, et benignæ matris nolentis obligare cum tanto rigore. (8. Non excusantur autem domini, nec famuli, qui ob parvum lucrum per occupationes impediuntur ab audienda missa, juxta canonem *Non putatis*, dist. 89. Vide verb. *VIDUA*, n. 9.

(9. Fideles audiendo missas in ecclesiis regularium satisfaciunt præcepto de audiendo missam, ex declaratione Leonis X, data 13 Novembris 1517, in constitut. incip. *Intelleximus*, quæ est tenoris, qui sequitur: « Intelleximus, quosdam in dubium revocare, et perinde timoratis conscientis scrupulum injicere, si Christifideles, qui Dominicis et festis diebus extra ecclesias suas parochiales missas audiunt in ecclesiis Fratrum ordinum mendicantium, Ecclesiæ præcepto de missa audienda satisfaciunt. Nos enim ambiguitatem hujusmodi penitus tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique Deo Creatori suo serviant, auctoritate Apostolica, tenore presentium notum facimus, omnes Christifideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio sacerdote parochiali) in ecclesiis Fratrum ordinum mendicantium, Dominicis, et festis diebus, missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve incurrere. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, etc. » Ex Paulo III in sua extravaganti emanata Kalendis Novembris 1549, incipient. *Licet debitum*, qua « omnibus Christifidelibus cujuscunque conditionis, qui verbi Dei prædicationibus in templis ejusdem Societatis (*Jesu*) interfuerint, concedit, ut ibidem missas audire, et sacramenta recipere libere, et licite valeant, neque ad id parochiales ecclesias accedere teneantur; » ex S. Pio V in sua constitut. edita 16 Maii 1567, incip. *Etsi mendicantium*, in qua Summus ille Pontifex refert vexationem, de qua religiosi mendicantes querebantur apud episcopos, et sacerdotes: « Aliqui vero, inquit, in

suos parochianos ad sonum campanæ excommunicationem promulgant, ut non possint interesse missis, concionibus, et divinis officiis, nisi in propria parochia. » En causa expostulationis, circa quam S. ille Papa decidit, concilii Tridentini decr. incip. *Quanta cura*, sess. xxii, explicans his verbis: « Decretum, quod populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem Dominicis, et majoribus festis diebus convenire debere monet insequendo, volumus, quod fratribus mendicantibus hujusmodi, non solum prohiberi non possit, ne missas, et alia divina officia in eorum ecclesiis, etc. Quicunque utriusque sexus Christifideles totius anni tempore illas, et illa (missas, et divina officia) in ecclesiis Fratrum hujusmodi audire possint, ipsi Christifideles ullatenus desuper molestari, aut impedi per locorum ordinarios, seu rectores parochialium ecclesiarum... non valeant, seu debeant. Sed præfati Christifideles audiendo missas, et alia divina officia in ecclesia Fratrum hujusmodi, diebus Dominicis, aut festis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur. » Et ex Clemente VIII, qui anno 1592, 22 Decembris, contrariam opinionem circa hanc controversiam Duaci excitatam expresse dirimit his verbis: « Præsenti nostro decreto sancimus, licere sæcularibus Christifidelibus universis missas diebus Dominicis, et festis aliis majoribus audire in ecclesiis, tam fratrum Prædicatorum, quam aliorum mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis Jesu, juxta eorum privilegia, et antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum parochialium ecclesiarum non faciant: et tam dictis Patribus Prædicatoribus, ac Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis, quibus id a Sede Apostolica indultum est, idoneis, et ab ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali, et Paschali, et quovis alio tempore confiteri licite posse, etc. »

(10. Ex quibus patet non posse fideles constringi ad missam audiendam in ecclesia parochiali. Sac. Congregat. 10 Octobris 1581. In Tridentino enim sess. xxii, *Decret. de observandis et evitandis in celebrat. missæ*, solum dicitur: « Moneant episcopi populum, ut frequenter ad suas parochias saltem diebus Dominicis, ac majoribus festivitibus accedant. » Et sac. congregat. Concilii Tridentini declaravit: « Non posse ordinarium, mulctis et pœnis cogere populum ad audiendam missam, aut concionem in propria parochia, etiam in casu negligentia, aut contumacia; » ut refert Azorius, tom. 1, lib. vii, cap. 8, quæst. 6; Lugo, *De eucharist.*, dist. 22, sect. 1, n. 2, et alii. (11. Nec ullam censuram meretur, qui docet in foro conscientia nullum teneri in diebus festis parochiæ suæ interesse ad missam audiendam, ut declaravit Alexander VII in speciali

(81) *Nota Rom. theologi*. In capellis ruralibus, et privatis domibus regularium sacrificare non licet, nisi oratoria erecta sint auctoritate ordinarii; ita ex decreto sac. congr. Concil. 4 Martii 1687 relato a

decreto anno 1659, die 29 Januarii emanato. Hanc tamen propositionem non esse prædicandam, nec publice docendam statuit. Ita namque in decreto laudato: « 4. Nullus in foro conscientia laudato parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur, et docentur. Quoad primam et secundam partem simpliciter accepta, est erronea, et temeraria: suppositis vero privilegiis Apostolicis nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem, de auditione verbi Dei, servetur dispositio sacri concilii Tridentini. 5. Talem legem in hac materia nec episcopi, nec concilia provinciarum, vel nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut ecclesiasticis censuris mulctare possunt. Suppositis itidem privilegiis apostolicis, nullam meretur censuram, verum ista non est prædicanda, nec publice docenda, prout nec præcedens quarta. »

(12. Fideles satisfaciunt præcepto, audiendo missam etiam in oratoriis et capellis domesticis regularium, cum in ipsis privilegiis possint quotidie celebrari plures missæ etiam a sacerdotibus sæcularibus, cum sit privilegium locale, quo gaudere possunt omnes. Sacra congregat. Episcop. et Regular. in *Bononien.* 31 Maii 1602; in *Tarant.* 25 Maii 1618, et congregat. Concilii in *Neapolitan. et Brundusin.* 8 Augusti 1615. (13. Imo etiam in capellis regularium rusticis, seu oratoriis sitis in eorum grangiis, seu prædiis ruralibus. Gregor. XV, 24 Septembris 1622, et congregat. Concilii 6 Martii 1621, et sic plurimi doctores sustinent stante etiam privilegio concesso ab Alexandro VI Cisterciensibus, relato a Rodriguez, tom. II, quæst. 75, art. 2; et Pellizar. in *Manual. regul.*, tom. II, tract. 8, cap. 2, n. 134 (81). (14. Satisfaciunt audiendo missam in oratoriis, et capellis cardinalium; sac. congregat. Conc. 4 Februarii 1623; et Episcoporum; ex sac. congregat. Conc. 22 Septembris 1640. (15. Etiam in oratoriis de licentia episcopi erectis in quibusdam domibus, dummodo ab ipsis domibus ita sint separata, ut per eas ad illa minime iri possit, et a via publica pateat cunctis accessus: sac. congregat. Episc. et Regular. in *Comimbricens.* 1 Julii 1616. (16. In oratoriis vero privatis, quæ a Sede Apostolica aliquibus in propriis domibus solent concedi, satisfaciunt audiendo missam solummodo in indulto privilegiati. (17. Ut autem sciatur, quinam sint privilegiati, necne, adducuntur clausulæ, quæ in similibus indultis solent impræsentiarum regulariter apponi. « Volumus autem, quod familiares servitibus tuis tempore dictæ missæ actu non necessariis ibidem missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi

cardinali Petra *Comment. ad Const. Apost.*, tom. I, sect. unic., n. 55. (Vide *Addit. nostras ad verb. CAPPELLA*, n. 78.)



missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. (18. Pro infirmo autem etiam solet apponi sic: « Tibi, ut etiam diebus ut præfertur exceptis, si in illis ob infirmitatem domo egredi non poteris, in dicto oratorio prædictam unicam missam celebrari facere, ac illam cum una persona servitiis tuis necessaria duntaxat audire libere, et licite valeas. » Vel sic: « In tua, ac unius personæ servitiis tuis necessariæ duntaxat præsentia celebrari facere libere, et licite possis, et valeas. Volumus autem quod alii præter prædictam personam missæ ejusmodi ibidem interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. » Et pro oratorio rurali solet poni sic: « In tua, ac familiæ et hospitem nobilium tuorum præsentia celebrari facere libere, et licite possis. Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ actu non necessarii ibidem missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. »

(19. Ex istis igitur, et similibus clausulis manifeste patet, quod familiares, seu famuli Indultarii in ejus domo inservientes, et ejus expensis viventes, nisi in actu celebrationis missæ servitio domini necessarii sint, indulto gaudere non possunt; sed ut præcepto Ecclesiæ de audienda missa diebus festis satisfaciunt, ad ecclesiam accedere tenentur non obstante, quod penes quosdam contrarius usus oppositum admittat, quia iste usus est corruptela et perniciosus abusus contra expressam intentionem Pontificis, ut clare patet in prima clausula, « Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ non necessarii, etc. » (20. Nec valet dici, quod præfata clausulæ apponantur in indulto de stylo potius officialium secretariæ brevium, quam de intentione vera Papæ, quia talis conditio, quæ est quinta tenoris sequentis: « Quinto, ut qui ibidem missam audiunt, non liberentur ab obligatione accedendi diebus præceptis ad Ecclesiam pro missis audiendis, præter eos famulos, et famulas tantum, qui servitio domini, cui facultas conceditur, fuerint necessarii; » fuit de voto sacræ cong. Concilii, Papa approbante, et mandante in hujusmodi indultis apposita in una Minervin. 4 Maii 1604, prout refert Fagnan., in cap. Auctoritate, post n. 22, De censibus, et Nicol., Lucubrat. canon., lib. v, tit. 33, De privileg. et excess., post n. 7, ampl. 7. (21. Unde cum talis conditio ponatur in indultis, de intentione expressa Pontificis, et declaratione sacræ congreg. Concilii, est omnino servanda, non obstante aliquorum contraria observantia, et abusu; quælibet enim magis lata interpretatio, nec in mente, nec in verbis comprehenditur Pontificis, cum ipse in indulto personas digito designet, et famulis actu non necessariis indultum non suffragari expresse declaret. (22. Imo addo, quod cum die 31 Julii 1706 in Auximana trans-

cripta fuisset in folio sac. cong. Concilii dicta clausula brevis, et propositum fuisset dubium: « An in vim dicti brevis satisfaciatur præcepto missæ in diebus festis omnes famuli commensales, vel quinam in casu? » Rescriptum fuit: « Dilata juxta mentem; » et mens fuit, quod orator peteret declarationem a Papa; ideoque si sacra congreg. Concilii noluit apponere manum propter satis claram mentem Papæ in dicta clausula expressam, nemo poterit illam latius, quam sonet, interpretari, et declarare. (23. Indultarii autem, qui in suis indultis majora habent privilegia, et ampliores clausulas, possunt iis libere, et licite uti sine ulla restrictione, cum hic sit sermo solummodo de indultis, quæ communiter et regulariter juxta communes clausulas solent concedi; adeoque attendenda sunt pro observantia indultariorum indulta. (24. In oratorio rurali ultra dimidium miliare ab ecclesia distante satisfaciunt omnes familiares, cum propter talem distantiam, et longam moram accessus, et recessus, ne servitium domini patiatur, omnes dicantur actu necessarii: sicuti etiam tempore hiemis, et magnæ pluvie: ex Monacell., tom. IV, n. 489. (25. Concesso privilegio domino, et famulis eidem inservientibus, absente domino, famuli audientes sacrum non satisfaciunt præcepto, ex decreto Clementis XI, 15 Decembris 1703. (26. Si autem dominus, auditio sacro in Ecclesia, ex devotione iterum audiat solitum sacrum in suo privato oratorio, tunc familia, et famuli actu domino inservientes satisfaciunt præcepto audiendi sacrum, cum facultas concessa domino audiendi sacrum in proprio sacello non sit solum ad audiendum illud pro satisfactione præcepti, sed etiam ad audiendum ex devotione, sicuti non est concessum familiæ, et famulis solum satisfaciendo præcepto, quando intersunt cum domino, vel inserviunt ei audienti ad satisfaciendum præcepto, sed quoties cum eo intersunt, et ei inserviunt, sive audiat ex præcepto, sive ex devotione. (27. Celebrato in ipso privato sacello uno sacro, non potest illa die aliud celebrari, neque per Regulares, ex cit. decr. Clementis XI, 15 Decembris 1703.

(28. Familiares autem sunt solum illi, qui expensis ejus, cujus dicuntur familiares, continuo vivunt, et morantur cum eo, indeque continui commensales dicuntur, cap. Sicut nobis. De verborum significatione, in 6; Barbosa, appellat. 96, n. 1, ubi cum aliis dicit, quod duo debent concurrere copulative, quod scilicet inserviant actu, et vivant expensis domini. (29. Et appellatione familiæ, quæ in privatis oratoriis potest audire missam, veniunt omnes illi, qui habitant in domo privilegiati cum quadam habitudine ad illum, uti sunt pater, mater, nurus, gener, uxor, filii, filiæ, nepotes, pronepotes, et alii quicumque de parentela habitantes, et conviventes cum illo. (30. Filii vero ac filiæ privilegiati, eorundem uxores, ac viri non gaudent hoc privilegio, si habitent in

eadem domo, sed vivant separatim propriis expensis, quia istæ personæ constituunt familiam omnino distinctam a privilegiato, cum vivant propriis expensis, habeant omnia servitia, et suos famulos seorsim a familia privilegiati, et licet maneant in eadem domo materiali, non constituunt tamen unam familiam formalem cum familia privilegiati, cum eis deficiat commensalitas, et convivia ipsius privilegiati expensis, prout requiritur, ex cap. Sicut nobis, De verborum significatione, in 6 (82).

(31. Alia vide verb. ORATORIUM, ubi late de omnibus clausulis.

## ARTICULUS XVII.

Missa quomodo debeat audiri, et quænam requirantur ad satisfaciendum præcepto eam audiendi?

## SUMMARIUM.

1. Missa debet audiri cum omni devotione mentis et cordis affectu, et cum omni compositione corporis et modestia, sine ulla confabulatione, et tumultu. — 2. Missa est audienda aperto capite, et vultu ad altare converso, nec est sedendum a principio canonis. — 3. Missa non est audienda cum armis; et transgressores puniendi sunt a iudice ecclesiastico. — 4. Fideles debent missæ interesse eodem decenti vestitu, quo in publicum prodire solent, et ita se componere, ut corporis habitu animi religionem præ se ferant. — 5. Missæ attendere debent auscultantes, et voto agere id, quod sacerdos agit ministerio. — 6. Ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio, quæ sufficit, etiamsi sit solum interpretativa, et virtualis consistens in actuali voluntaria assistentia, quantumvis non sit expressus animus satisfaciendi eidem præcepto. — 7. Hinc præcepto satisfaciendi eidem præcepto, qui solet interesse missæ, tanquam rei sacræ, qui adit ecclesiam volens partes christiani facere, qui adit, ut præsentia sua honoret sacrificium, qui ecclesiam adit ex nulla alia causa, et quicumque missam audit, si non constat, eum habere intentionem contrariam, præsumitur habere sufficientem. — 8. Imo satisfaciunt præcepto, etiamsi quis adeat ecclesiam cum intentione libidinosa videndi feminam, et simul audiendi sacrum, licet iste graviter peccaret. — 9. Audiens sacrum ob devotionem, ignorans esse diem festum, si postea advertat, non tenetur ad aliud sacrum. — 10. Audiens sacrum cum intentione ipsum audiendi ob devotionem, licet non habeat intentionem satisfaciendi per illum sacrum præcepto, vere satisfaciunt, etiamsi aliud sacrum non audiat. — 11. Si autem audiat tale sacrum cum positiva et actuali intentione per illud non satisfaciendi, secundum multos non satisfaciunt præcepto. — 12. Secundum autem plures alios satisfaciunt. — 13. Ad satisfaciendum requiritur etiam præsentia corporalis, et assistentia moralis. — 14. Non est tamen necesse, quod actu quis videat, aut audiat sacerdotem. — 15. Censetur quis moraliter præsens corpore, quamvis pergat ad sacristiam aliquid pro ministerio missæ allaturus, aut ad campanile campanas tracturus. — 16. Satisfaciunt præcepto qui de nave audiunt missam quæ celebratur in littore, sicuti et milites et suis tentoriis audientes eam quæ celebratur in campo publico ad distantiam 20 et 30 passuum. — 17. Missam audiens e fenestra suæ domus, si domus sit omnino conjuncta cum ipsa ec-

(82) Nota Romani theologi. In hujusmodi oratoriis celebrari, ac præcepto satisfieri non potest, nisi eadem missæ actu præsens sit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum fuit. Hoc autem principaliter indultum concessum intelligitur iis,

clesia, satisfaciunt præcepto. — 18. Si autem domus sit omnino sejuncta ab ecclesia, ita ut inter fenestram et ecclesiam mediet via, seu platea, licet videat altare, in quo missa celebratur, non satisfaciunt præcepto. — 19. Qui interest missæ coactus, v. g. ligatus, et reluctans, non satisfaciunt, sicut nec ebrius, aut dormiens. — 20. Qui tempore missæ in altam contemplationem, seu extasim a sensibus abripitur, censetur adhuc satisfacere præcepto, maxime si pergat contemplari mysteria, quæ peraguntur in ipsa missa. — 21. Ad satisfaciendum requiritur etiam attentio tam interna quam externa. — 22. Quæ sit attentio interna? — 23. Et quæ externa? — 24. Non satisfaciunt præcepto, qui tempore notabili missæ scribunt, vel pingunt, aut negotia pertractant. — 25. Neque satisfaciunt, qui per notabile tempus de re seria confabulantur, vel res alias fixe aspiciunt et considerant, ita ut moraliter loquendo nequeant attendere ad ea quæ a sacerdote geruntur. — 26. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ legunt attente librum profanum. — 27. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ confitentur sua peccata. — 28. Satisfaciunt tamen præcepto qui tempore missæ conscientiam suam examinant, eliciunt actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparant ad confessionem. — 29. Satisfaciunt etiam, qui tempore missæ recitant officium canonicum, vel penitentiam a confessario impositam et præceptam. — 30. Satisfaciunt etiam musici, et organedi, tympanistæ, cheliste, tubicines, et hujusmodi, dummodo simul attendant quod a sacerdote in altari geritur. — 31. Sic pariter satisfaciunt collectores elemosynarum, si simul attendant ad missam, sicuti ministrantes missæ sufficienter attendunt exhibendo suum ministerium. — 32. Omnes supradicti, ut satisfaciunt præcepto, debent integram missam audire. — 33. Alia ad rem ad n. 49.

(1. Missa debet audiri cum omni devotione mentis, et cordis affectu, c. Decet, De immunit. eccles., in 6, cum omni compositione corporis, et modestia, sine ulla confabulatione et tumultu. Concil. Turon. III, c. 38; concil. Later. IV, c. 17; conc. Trid., sess. xxii, in decret. De observand. et evitand. in celebrat. missæ, in quo decreto circa medium mandat non permitti interesse sacrificio missæ; « Nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse. » (2. Missa est audienda aperto capite, et vultu ad altare converso, nec sedendum est a principio canonis; conc. Mogunt. IV, cap. 59; concil. Mediol. I, part. II, tit. Quæ pertinent ad celebrat. missar. (3. Missa non est audienda cum armis; et transgressores puniendi sunt a iudice ecclesiastico; concil. Aurelian. III, c. 28. (4. Fideles debent missæ interesse eodem decenti vestitu, quo in publicum prodire solent, et ita se componere, ut corporis habitu animi religionem præ se ferant; concil. Mediolan., loco mox citato. (5. Missæ attendere debent auscultantes, et voto agere id, quod sacerdos agit ministerio; concil. Moguntin. IV, cap. 58. (6. Ad satisfaciendum præcepto requiri-

quibus breve dirigitur, vel facultas conceditur, ut possint in oratorio privato, cui ipsa persona assistit, missam celebrandam ordinare; ex dec. cong. Conc. relatis a Bened. XIV, in Epist. ejus initium Magno.